

Audite hec omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem, quoniam de rebus magnis et vobis necessariis locuturus sum. § Doleo¹ enim et gemo super iniquitatibus et iniuriis que universitati vestre in totius orbis dispendium per illum qui super cathedram sedere se iactat et nonnullos qui ipsum in tyrannico principatu et nequicia precesserunt et malignissime sunt illate. § Non minori autem affligor angustia, quia quam sit diuino honori contrarius, fidei periculosus catholice, iuribus et libertatibus a deo et a natura vobis concessis aduersus huius(modi) tyrannicus principatus super vos nequiter usurpatus, uana sollicitudine inquirere non curatis, et quod deterius est, vos de veritate informare volentes abiectis confunditis et ipsos iudicatis. § Ne tamen illorum numero qui humanam amittere gratiam formidantes loqui libere pertimescunt, merito debeam aggregari, libera voce illorum in hoc opusculo impugnare conabor errores, qui propriis iuribus non contenti ad aliena tam diuina, quam humana, temporali confisi potencia (fol. 205) et fauore manus extendere non pauescunt. § Cupiens autem fastidium legentibus tollere, quo potero breuius studebo procedere. § Quamobrem qui illa que hic dimissa comparere, desiderauerit discussa vide(re)², Dyalogum quendam prolixissimum, in plura volumina distinctum, in quo hic tractanda et alia innumera difficiliora et scrupulosiora conferendo et recitando solummodo pertractantur, inspiciat, si ipsum habere voluerit. § Porro quia in hoc opere non tantummodo recitando, sicut in predicto Dyalogo et quibusdam aliis operibus, sed in aliqua asserendo constanter, aliqua absque assercione temeraria opinando, verborum faleras relinquendo procedam, et protestor aperte, quod contra fidem nobis a Christo et apostolis traditam scienter nichil omnino dicam, et si aliquid³ contra ipsam dixero ignoranter, a quocumque qui michi manifestare potuerit veritatem, corrigi sum paratus, et nichilominus inuestigando per me ipsum et querendo ab aliis, loco et tempore oportunis, cauta sollicitudine veritatem inquiram, quam si ignouero, non pudebit me, ubi expedire videro, patenter et publice confiteri. § Sic enim quod pro nunc mihi⁴ videtur consonum veritati, aperiam cum timore, ut velim, si falsum est, sapiencioris iudicio reprobari. § Que autem per scripturas sacras vel per rationem euidentem aut quocumque modo sunt certa,

¹) so wohl statt ms. Volo.

²) ms. vide, ohne Abkürzungszeichen.

³) ms. aliquis.

⁴) ms. in in.